



615451.

ULTIMA & FINALIS
DEMONSTRATIO
JURIS

SACRÆ REGIÆ MAJE-
STATIS BORUSSIÆ,
SICUT QUASVIS ALIAS MERCES,

ITA ETIAM

SAL HALENSE PER ELBIN-
Ld GAM ET LACUM
1089 DRAUSEN,
IN USUM ET COMMODUM SIBI
SUBDITORUM LIBERE TRANSVEHENDI.



10.2.06. ANNO MDCCXXV.

Doubl.

H. Stufz. 202



Acra Regia Majestas Borussiæ istiusmodi scriptum in causa salis halensis, per Elbingam transvehendi, nunquam expectaverat, quale in nuperrimis Varsaviæ celebratis comitiis sub titulo *reiteratae Responsoris* in publicum prodiisse, & typis evulgatum esse cognovit. Quod tot rebus a præsenti argumento alienis, totque contra manifesta pœta dictis refertum reputatur, ut, an omnia vere ex mente Sacré Regiæ Majestatis & inclutæ Republicæ Poloniæ effluxerint, ferme ambiguum videatur.

In ipso statim principio varia commemorantur puncta, Sacré Regiæ Majestatis Borussiæ in Serenissima Aula Polona tum temporis subsistenti Ministro ante aliquod tempus insinuata, quæ tamen cum hoc negotio nihil prorsus commune habent, & quo-

quorum itaque mentionem ibi denuo inji-
cere, tanto minus opus erat, cum Sacræ
Regiæ Majestatis Borussiæ Ministri ante
re vera, quam ipsis scriptum hoc traditum
esset, ad omnia sufficienter responderint,
atque evidenter demonstraverint, Polo-
nis intuitu eorum nullam omnino causam
conquerendi subesse. Quare etiam ea
silentio hic merito prætereuntur. Si enim
ita ad plane diversa excurrendum esset,
Sacræ Regiæ Majestati Borussiæ vastus
certe campus sese offerret, neque grava-
mina deessent, contra inclutam Rempub-
licam Poloniæ alleganda, quorum mede-
lam ab Ea plus simplici vice expetivit, sed
nondum obtainere potuit, quamvis ejus
naturæ & qualitatis sint, ut, illæsa justitia
& æquitate, hæc Ipsi amplius denegari ne-
queat. Verum, cum hæc omnia ad præsen-
tem disceptationem non pertineant, mis-
sis eis, & in aliud tempus reservatis, sola

quæstio de jure Ipsius, sal halense, & quavis alias merces pro lubitu per Elbingam & lacum Drausen libere transmittendi, ulterius discutienda venit; in quo quod iniuste turbetur, in prioribus deductionibus, non solum ex jure gentium, sed specialibus etiam pactis comprobatum est, liberum Ipsius transitum ubique patere jubentibus, ita ut in præsenti unice adhuc ostendendum videatur, limitationes, quas reiterata *Responsio Polonica* ex his elicere atque extorquere frustra conata est, in pactis, tum antiquioribus, tum recentioribus, vel omnino, prout citatæ sunt, non reperiri, vel ad statum controversiæ nullatenus quadrare, neque Serenissimo Regi Borussiæ competens jus ullo modo restringere. Quod ubi factum fuerit, iis superstructa moles sponte sua corruet.

Prima statim prætensa limitatio, prout in *reiterata Responsione Polonica* prolata est,

50

est, videlicet, ut vetera Deposita, sive modi
merces deponendi, & consuetudines observen-
tur, neutquam vero nova contra antiquam con-
suetudinem & Privilegia ab ulla parte instituan-
tur, in pactis nullibi reperitur, quæ nova
quidem depositoria institui, vetant, &, an-
tiqua salva manere jubent, sed per depo-
sita, quæ vox barbara in pactis antiquis
ut plurimum adhibetur, non modum mer-
ces deponendi, vel quemvis locum, ubi
istiusmodi naves exonerantur, qua no-
tione reiterata Responso Polonica vocabulum
hoc contra pactorum sensum accipit, sed
jus stipulæ & depositorii intelligunt at-
que denotant; vigore cuius civitas quæ-
dam a peregrino negotiatore in veetas
merces attinere potest, ut in certo loco ad
certum tempus venales exponantur. Quo
præsupposito, luce meridiana clarus est,
eo ipso, dum naviculæ, sale halensi onustæ,
Dolstadii in terram ejiciuntur, ut inde

A 3

cur-

curribus porro in præfecturas Pogesaniæ & Pomesaniæ Sacræ Regiæ Majestati Borussiæ subditas, sal prædictum vehatur, nullum novum depositorium institui, & in libero Sacræ Regiæ Majestatis Borussiæ arbitrio positum esse, in quo loco suæ ditionis res Suas deponi voluerit, modo Elbingenses, vel alii, suas ibidem quoque deponere, non cogantur. Quod autem cum non fiat, neque fieri possit, ea, quæ de novis non instituendis depositoriis in pacis inveniuntur, a præsenti casu plane aliena sunt.

Civitatem etiam Elbingensem nullum omnino stipulæ, multo minus generalis depositori vel emporii jure gaudere, quo contra Borussos orientales uti possit, dubium certe nullum est. Si enim, ut jaçtat, privilegium, a Crucigeris sibi desuper collatum, possideret, vel ipsa, vel Serenissima Aula Polona vidimatam ejus copiam cum Sacra Regia Majestate Borussiæ potius com-

¶ 70 ¶

communicaret, quam privatis istis Scripto-
ribus, Simone Grunau, Waisselio & Henne-
bergero, fundamentum suum probare ina-
niter allaboraret, præsertim cum præ-
textus, sub quo hoc Sacrae Regiae Majesta-
ti Borussiæ denegatum fuit, non magni
momenti sit, quippe Cui nunquam ani-
mus fuit, rem totam Reipublicæ arbitrio
& decreto in comitiis simpliciter submit-
tere, ac in iis, vel coram alio Polonorum
judicio, cum civitate Elbingensi, privato-
rum instar, ordinario modo litigare, sed
tanquam vicina Majestas & Pars Compa-
ciscens a Sacra Regia Majestate & Repub-
lica Poloniæ, tanquam Parte altera, postu-
lavit, & adhuc jure meritoque exposcit,
ut paœta, cum lpsis inita, debite servent, ne-
que, eadem hoc violari modo, patientur,

Quæ vero citati Auctores de majori-
bus Borussiæ civitatibus, & emporii jure,
iis jam ao. 1365. a Magistro Ordinis de
Kniprode

Kniprode collato, paucis admodum & generalibus verbis commemorant, Civitati Elbingensi non magis adminiculari possunt, quam Thorunio olim auxilio fuere, cui nihilominus ex eodem fundamento pretensum jus depositori jam ante duo secula in Polonia abjudicatum esse, Elbingenses latere nequit. Quemadmodum enim unus semper ex alio opus suum compilavit, & nullus asserere potuit, quod unquam istiusmodi privilegium vel oculis viderit, vel manu contrectaverit, multo minus copiam ejus cum lectore communicavit, ita omnes quoque non ejus sunt auctoritatis, vel aetatis, ut ex iis privilegia probari possint, quae vicinorum juribus adeo derogant, praesertim cum ipsa pactorum instrumenta ipsis non obscure contradicant; id quod demonstratu facile est, quamvis Sacrae Regiae Majestati Borussiarum negativam probare nullatenus incumbat.

Præ-

Præter ea enim, quæ instrumenta de ao.
1436. & 1454. de eo statuunt,

ut mercatoribus Borussiæ liberum semper maneat,
cum suis mercibus transire, *ubicunque voluerint*, si
vero in aliquo loco vendere eas noluerint, absque
omni impedimento ire, seu ascendere, vel descen-
dere, *quo eis placuerit*,

ubi tamen nullius juris strapulæ vel depo-
sitorii, Elbingæ competentis, mentio fit,
illud ex pactis de ao. 1466, & verbis qui-
dem sequentibus, liquido constat:

Item ordinamus & statuimus, ut omnes mercato-
res, tam Regni nostri Poloniæ, Principatum, ter-
rarum & dominiorum nostrorum & Regni ac Epi-
scopatus Capitulique Varmiensis, quam terrarum
Prussiæ, in ditione Domini Ludovigi Magistri, &
Ordinis sui consistentes, sint ubique in terris & in
aquis tuti & securi, & nullæ illis molestiæ inferan-
tur, nec cogantur, nisi solitis & veteribus stratis,
itinieribus & locis ambulare, aut ad *aliquam civita-*
tem castrum & locum sub prætextu cuiuscunque con-
stitutionis vel Edicti cum rebus & mercibus suis, cu-
juscunque materiei existant, de cetero applicari,
præterquam in Kynsberg.

B

Qui-

Quibus expresse soli civitati Regiomontanæ jus emporii adscribitur, reliquæ autem simile quid sibi arrogare prohibentur. Quod si autem forte Elbingenses postea a Sigismundo II, ao. 1521, & a Sigismundo Augusto, ao. 1566, impetratum quoddam privilegium re vera, ut venditant, producere possent, illud tamen, veluti pactis de ao. 1466. & 1525. aperte contrarium, quæ nova depositoria vel emporia sine alterius consensu institui, vetant, contra Sacram Regiam Majestatem Borussiæ, Ipsique subditos, tanto minus quicquam operaretur, cum ipsi Elbingenses, laudato isto privilegio nihil aliud contineri, prædicent, quam quod merces omnes, per lacum Drausen deorsum, vel flumen Elbing sursum, a quibusunque vœx, per tres dies Elbingæ sifisti, ac venales ibidem exponi debeant; quod iterum ad sal halense, quod non exceptunt, nullatenus quadrat, interim tamen

men illorum assertum, privative ipsis navigationem in lacu Drausen competere, de quo infra sermo erit, refellit.

Secunda in reiterata *Responsione Polonica* ex pactis repetita limitatio, ut antiqua telonia solummodo, neutquam nova exigantur, nullam prorsus connexionem cum quæstione de transvectione salis per Elbingam habet, ac Polonus potius, teloniis in Borussia occidentali, Polonia & Lithuania vel noviter institutis, vel auctis, pactionibus, inter Poloniæ & Borussiæ Regna intercedentibus, contravenisse, arguit, &, licet eadem in Borussia occidentali jam sublata in reiterata *Responsione Polonica* venditentur, id quod in medio jam relinquitur, eo ipso tamen Sacrae Regiae Majestati Borussiæ non penitus satisfactum foret, Quæ, idem in Polonia & Lithuania ut heret, jam dudum expetivit, &, quod jure hoc efflagitet, peculiari scripto, a.o. 1718. typis excuso, deduci,

duci, simulque nova instituta , vel aucta
telonia indigitari, curavit. Tantum au-
tem abest, ut justo Ipsius desiderio locus
relictus sit, ut Ipsi subditis nova potius de
novis impositionibus querendi ansa data
fuerit, & illustrissimus Dominus Regni Po-
loniae Thesaurarius mandato, die 26. No-
vembris 1723. publicato, teloniorum præ-
fectis, decem pro centum ab omnibus Sa-
cræ Regiæ Majestati Borussiæ subditis,
nundinas Polonorum frequentantibus,
exigere, injunxerit, hi quoque anno præ-
terito a mercatoribus Neydenburgensi-
bus & Soldaviensibus non solum decem
pro centum , sed pro quovis etiam curru
tres florenos Polonicos contra veterem
consuetudinem expetiverint, hanc vero
pecuniam solvere detrectantes , vel mer-
ces quasdam pignoris loco relinquere,
vel, infesta re, & nullis venditis mercimo-
niis , non sine ingenti dispendio & jactura
rece-

recedere cœgerint. Id quod Sacræ Rei-
giæ Majestati Borussiæ tanto gravius ac-
cedit, cum Thorunienses, Gedanenses, El-
bingenses, & alios, inclutæ Reipublicæ Po-
loniæ parentes, adhuc ab istiusmodi im-
positionibus immunes esse simnl cognove-
rit. Quare etiam, tum per literas Suo-
rum ad Regimen Regni Borussiæ constitu-
torum Ministrorum, ad prædictum illu-
strissimum Dominum Regni Thesaura-
rium exaratas, tum per Ablegatos Suos
ad Sacram Regiam Majestatem & Rem-
publicam Poloniæ ejusmodi novationis
abolitionem expeti jussit. Verum, prout
ille ne quidem ad præfatas literas respon-
dere dignatus est, ita neque ab his desi-
derata abrogatio impetrari potuit.

Quod autem ad ea attinet, quæ hac
occasione in *reiterata Responsonie Polonica de*
telonio Pillaviensi & Regiomontano,
Stromgeld dicto, in medium prolata sunt,

in superioris memorata, & ao. 1718. publicata deductione uberior expositum est, nulla in Borussia Orientali nova telonia instituta, sed antiqua illa esse, & pacta iis omnino favere. Elbingensibus autem, vel aliis, nullum plane de iis expostulandi jus competere; quæ, cum ibidem legi possint, hic repetere supervacaneum esset.

Quoad ea quoque, quæ de accisis reiterata *Responsio Polonica* immiscet, Elbingenses jam ao. 1530. & 1531. de Polonorum accisis absque effectu conquesti esse leguntur, eas autem, quæ in Borussia orientali exiguntur, neque ipsi, neque Poloni, neque Lithunani graviter ferre possunt. Nam, ut brevitatis studio nunc omittatur, jam in pactis de ao. 1526. Duci Alberto, ut *assisias faceret*, disertis verbis concessum esse, imo civitates majores Borussiae occidentalis sibi jam ao. 1537. jus accifarum vindicasse, ita ut *Sacra Regia Mafetas*

150

itas Borussiæ tanto minus opinetur, Sibi, Regnum Borussiæ supremo & absoluto jam imperio regenti, illud a Sacra Regia Majestate & Republica Poloniæ disputatum iri) in præsenti ipsis respondisse sufficit, accusas peregrinos non tangere, & iisdem non Polonos, vel Lithuanos, vel Borussos occidentales, merces suas vendendas importantes, sed Sacræ Regiæ Majestati Borussiæ subditos, emptores & consumentes onerari, portionem vero summæ pecuniariæ, ex venditione in nundinis factæ, a solis judæis exigi, qui partem Republicæ non faciunt, sed, tanquam infideles, potius ipsis legibus Polonicis ab ea excluduntur, & per consequens quoque patata ad eos extendi nequeunt.

Ad tertiam in reiterata Responsoione Polonica allatam limitationem, ut solitis & veteribus itineribus, stratis & locis tantummodo ambuletur, in prioribus deductionibus satis

ex-

expositum est, quod mercatoribus eum in finem solum nova itinera aut viarum diverticula querere interdictum sit, ut latrocinia, homicidia, furtæ & defraudationes teloniorum impedirentur, quemadmodum ante aliquot annos Poloni telonium, quod Mariæburgi tum temporis exigebatur, eo ipso excusare voluerunt, quod proprie ibidem locorum nullam cameram instituissent, sed per custodes teloniorum ex limitaneis & proximioribus cameris ibi tantummodo defraudationes eorum observari jussissent, qui, itinera sua flectentes, & anfractus capientes, Polonicas cameras evitare & illac furtim transire studerent; quo argumento Eosdem etiam longe antea, & quidem jam a.o. 1533. usos fuisse, ad defendendam cameram revisionis, Czechanowæ in Masovia institutam, historiarum monumenta docent. Et nullum quoque alium sensum pœna involvere,

vere, ex illis tam liquido constat, ut soli
 præferre facem videretur, si quis iis diu-
 tius immoraretur. Quare etiam hæc li-
 mitatio præsentem calum non afficeret,
 etiam si via hæc nova esset, quam tamen
 eam haud esse, priores deductiones pla-
 num jam atque perspicuum fecerunt; ne-
 que ex eo in contrarium quicquam elici
 potest, quod ille, cui imprimis cura salis
 demandata est, illud per Elbingam trans-
 missum iri, Magistratui ejus civitatis ami-
 cis literis significaverit, cum non solum
 quemvis omnia prius consilio & amicitia,
 quam vi experiri deceat, sed hæc insuper
 literæ nihil aliud, quam simplicem notifi-
 cationem contineant, quod navem, sale
 halensi onustam Elbingam re vera jam mi-
 serit, ac nullatenus expectaret, illam at-
 tentum ibi, vel ab ea aliquid exactum iri.
 Cum præter spem vero & opinionem El-
 bingenses responderent, se ea quidem vi-

C

ce

ce transitum sali huic præstitisse , quoad futurum autem difficultatem quandam injicere præsumerent , serio statim ipsis per Sacræ Regiæ Majestatis Borussiæ literas remonstratum est , injuria illud fieri , neque Ipsam passuram esse , Sibi transvectionem hanc cum adeo manifesta pactorum violatione denegari.

Ceterum quæ , occasione fluvii Elbing , de civitatibus Hanseaticis allata reperiuntur , quo proprie tendant , non facile comprehendi potest . Sacræ Regiæ Majestati Borussiæ enim , Ipsique subditis vigore pactorum inter Regnum Poloniæ , cui Elbinga incorporata est , & Regnum Borussiæ , omnia flumina , sive privati , sive publici juris sint , quod intuitu fluvii Elbing ulterius jam examinare , non expedit , patere omnino debent .

Neque ullis unquam instrumentis Elbingenses , jus navigandi in lacu Drausen a Cru-

Crucigeris privative sibi concessum esse,
probare poterunt. E contrario autem
Sacrae Regiae Majestati Borussiarum subditi, il-
lum accolentes, in hunc usque diem res
suas per eum Elbingam devehiri curant, &
non eos solum, sed imprimis quoque Do-
minos Borussiarum orientalis, etiam per Elbin-
gam seculis 16. & 17. quam saepissime, &
non precario, sed pro lubitu, & quoties e
re ipsorum fuerit, omnis generis merces,
videlicet frumentum, oleum, lanam, halec,
ferrum, & in specie quoque sal, quamvis
non halense, antehac in Borussia non usita-
tum, hinc inde transmisisse, & naves Dol-
stadii exoneratas esse, inter alia, rationes
Præfecturarum Preuschmarck & Preusch-
holland luculenter docent, ipsa etiam
nautarum nomina & mercedem indican-
tes. Quod si vero ultimis forte tempori-
bus, non singulis semper annis eo ipso ob-
defectum occasionis vel commodi, hanc

C 2

viam

viam antea suadentis , continuaverint,
hoc tamen Sacræ Regiæ Majestati Borus-
siæ nullatenus officeret , cum res hæc sit
meræ ac puræ facultatis, non certæ legi,
aut conditioni, vel tempori alligata , Ipsi
autem sufficiat quod, & jus gentium, & pe-
culiaria etiam pacta Ipsi hanc facultatem
tribuant , & liberrimum usum omnium
aquarum nавигерарum afferant. Quam
ob rem quoque intuitu ejus non multum
interest, an proprietas totius lacus Drau-
sen ad Poloniam, sive pars ejus ad Sacram
Regiam Majestatem Borussiæ pertineat,
quoniam nihilominus Ipsi ob ante deducta
transvectio hæc non deneganda foret.
Verum cum reiterata Responsio Polonica Ipsi
omne penitus jus circa proprietatem ne-
get, operæ pretium videtur, illud paulo
evidentius exponere. Evidem non est
inficiandum, ex pactis de ao. 1466, in reite-
rata Responsione Polonica allegata verba, qui-
bus

bus tamen addenda fuissent, quæ in iis im-
mediate de jure piscandi, diversis ibidem
nominatis villis, concessio, sequuntur, pri-
mo intuitu Sacræ Regiæ Majestati Borus-
siæ, quoad proprietatem, non adeo favo-
rabilia videri. Verum si quis instrumen-
tum de a. 1525, quo Ordines Ducatus Bo-
russiæ orientalis consensum suum in pa-
cem perpetuam ejusdem anni dederunt,
diligenter perlustret, etiam atque etiam
perpendat, & cum iis diligenter conferat,
quæ de rebus, tum temporis gestis, vete-
rum annalium Scriptores memoriæ prodi-
derunt, ex iis satis apparet, bellum post
pacœ de a. 1466. inde originem habuisse,
quod Ordo eadem nimis dura & iniqua
existimaverit. Ad finiendum autem tan-
dem atque componendum hoc bellum, il-
lustrissimi Pacificatores æquiores stabilis
atque firmæ pacis conditiones proposue-
runt, quas amplecti, Magistro Generali &

C 3

post-

postmodum Duci Borussiæ Alberto atque Ordinibus ejusdem Ducatus, satius visum fuit, quam in contractum conjurare Thoruniensem, cui titulus est perpetuæ pacis, & per quem pacta de ao. 1466, Thorunii inita, intelliguntur. Atque ita horum loco alia ao. 1525, inter Regem Sigismundum & Ducem Albertum Cracoviæ confecta sunt. Quoniam autem his etiam inter Pacifcentes convenerat, ut Dux Borussiæ omnibus privilegiis, huic conventioni repugnantibus, sive ea a Romanis Pontificibus, sive a Regibus Poloniæ profecta essent, renunciaret, si vero illis quicquam continetur, quod Duci Borussiæ necessarium videretur, Rex Poloniæ eadem sub sigillo suo Ipsi denuo concederet, hinc Dux Borussiæ non multo post renovationem istiusmodi privilegiorum petiit, & die Sabbathi ante festum Trinitatis 1526. eandem, ao. autem 1529. generalem renovationem &

con-

confirmationem pacis & Concordiæ per-
petuæ, inter Regem Uladislaum, & Magi-
strum Ordinis Paulum a Rusdorff ao. 1436.
initæ, quoad terras, vi pactorum de ao.
1525. sibi relietas, obtinuit. Ex quibus
omnibus sequitur, quicquid pacta de ao.
1466. in præjudicium Ducis Borussiæ con-
tinent, per subsequentia abolitum, Du-
cemque Borussiæ his ultimis, respectu ter-
rarum, sibi per pacta de ao. 1525. relicta-
rum, in pristinum denuo statum restitutum
esse, in quo ante pacta de ao. 1466. Crucigeros
fuisse constat, & per consequens
etiam ratione omnium aquarum & flumi-
num, utriusque partis territorium attin-
gentium, ac in specie quoque intuitu lacus
Drausen, idem jus recepisse, quod olim se-
cundum priora pacta Crucigeri habuere,
quæ semper in materia limitum jus gen-
tium secuta sunt, & medietatem istorum
fluminum, aliarumque aquarum, utriusque
ter-

ritoria alluentium pro termino & limite
inter Regnum Poloniæ & terras Ordinis
constituerunt, quemadmodum id fluvio-
rum Drevanczæ, Vislæ, Notez, sive Byrz-
wennick, & lacus Rogoret exempla com-
probant. Atque sic etiam manifestum
est, Sacram Regiam Majestatem, inclutam-
que Rempublicam Poloniæ ex partis de
ao. 1466. non amplius evincere posse,
quod Sibi integri lacus Drausen proprietas
competat, sed medietatem ejus ad Sa-
cram Regiam Majestatem Borussiæ, qua-
tenus Ipsius territorium attingit, per-
tinere.

Ad refellendam porro limitationem
quartam, ne ulla nova fora, vel alia grabamina
instituantur, quin potius contra fas & antiquam
consuetudinem in villis instituta aboleantur, ac
ad Civitates, ad quas spectant, reponantur, de
foro portuque multa hic verba facere non
attinet, cum Sacræ Regiæ Majestati Bo-
russiæ

russiæ, forum Dolstadii instituere, animus
non sit, & id ipsum, dum in eo loco, neque
natura, neque industria munito, neque in
littore marino sito, neque navibus contra
vim & impetum ventorum ullum singula-
re præsidium præstante, quæ alias portus
requisita esse solent, sal halense in terram
ejicitur, ut inde præfecturis Regiis curri-
bus advehatur, non magis portus nomen
meretur, quam si quilibet privatus in qua-
vis fluvii parte naves ad littus applicet,
merces in terram deponat, & porro in
vicinum præmium transportet. Interim
tamen evidens quoque est, ex pactis de
ao. 1526. allegata verba: *secundum contractus*
præscriptum, proprie verbis de nundinis &
foris non esse adjecta, id quod interposi-
tum comma indicat, vel ita non intelli-
genda, ut *reiterata Responso Polonica* ea in-
terpretari annititur. Si enim eo ipso Du-
ci Borussiæ concessum non fuerit, nova

D

fora

fora in villis instituere, id quod ipsi solum
in pactis de ao. 1525. interdictum erat, non
apparet, quid eo lucratus esset, cum in ci-
vitatibus fora ordinare ipsi jam antea li-
berum semper fuerit, nec ejus gratia no-
va concessione opus habuerit. E contra-
rio autem ex iisdem pactis de ao. 1526. pro
Sacra Regia Majestate Borussiæ notari
merentur verba:

directuram per terram in fluminibus & in mari ~~sicne~~
utile visum fuerit stabilire,

& quæ in pactis de ao. 1525. reperiuntur:

ubique alias profunda id est ostia maris fuerint,
caput Vislæ & omnia flumina omnibus Prussiæ inco-
lis, ut in ipsis navigare & trajicere possint, libera
fiant.

Jam sequitur 5^a limitatio, quod transitus abs-
que omni commerciorum ac fortalitiorum præ-
judicio fieri debeant, quam reiterata Responsio
Polonica quam maxime urgens, non solum
affir-

affirmat, istiusmodi transportationem per
Elbingam, de qua tamen unice & simpli-
citer quæstio est, ejusdem civitatis com-
mercio nocere, sed nunc etiam ipsam salis
halensis invectionem in Regnum Borussiæ
oppugnare aggreditur, atque Sacræ Re-
giæ Majestati Borussiæ illud in prædictum
Regnum suum transmittendi, & sal exoti-
cum Sibi subditis interdicendi jus ambi-
guum facere, imo omnino negare anniti-
tur, cum id ipsum in totius Borussiæ, tam
orientalis, quam occidentalis, imo univer-
sæ Poloniæ & Lithuaniae jacturam vergat,
neque in eo jus supremi dominii Ipsi ad-
miniculari valeat, quippe quod Ipsi non
absolutum, sed valde limitatum conces-
sum sit, & nihilominus Ilsa certo modo de
actionibus suis rationes reddere tenea-
tur. Quæ omnia certe Sacra Regia Ma-
jestas Borussiæ vix satis demirari potest.
Nam, ut jam prætereantur, quæ do
damno,

damno, Elbingensi civitati in specie ex
hac transvectione nascente, denuo allata,
& jam antea satis refutata sunt, Sacra Re-
gia Majestas Borussiæ jus supremi & abso-
luti dominii, post rerum omnium præpo-
tentem DEum, armis Serenissimi Sui Avi,
Friderici Wilhelmi, gloriosissimæ memo-
riæ, in acceptis fert, quibus, Suecorum
partibus relictis, valde tunc laboranti Po-
loniæ auxilio fuit, eamque ab imminente
periculo vindicavit, neque ita illud, ut rei-
terata *Responsio Polonica* conatur, explicari
unquam patietur.

Pacta Velaviensia, sive Bydgostiensia,
de ao. 1657, in eo clara & perspicua sunt,
dum sequentem in modum loquuntur:

„Quorum intuitu & aliorum, praesertim infra spe-
cificatorum, & aliis justis de causis Ducatum
Prussiæ, iis finibus circumscriptum, quibus Ser-
enissimus Elector illum olim jure feudi ante hoc
bellum exortum possidebat, ipse deinceps, & de-
scendentes ejus masculi, ex thoro ejus legitime
pro-

„procreati, indeque descendentes omnes, donec
 „quisquam supererit ex descendantibus masculis
 „sux Serenitatis Electoralis, jure supremi Dominii,
 „cum summa atque absoluta potestate sibi habebunt,
 „possidebunt, regentque absque omnibus antehac
 „præstitis oneribus

& diploma, quo postea divus Rex Johannes Casimirus die 30. Augusti 1658, Ele^{ctori} Friderico Wilhelmo summam atque absolutam potestatem concessam esse, publice declaravit, atque Borussiæ Orientalis Ordines a prioribus, Regibus & Regno Poloniæ antea præstitis, homagiis juramentisque relaxavit & absolvit, hæc verba continet:

omnesque Ducalis Prussiæ Ordines stante jure feudali
 Nobis antecessoribusque nostris & Regno præstitis
 homagiis juramentisque relaxavimus absolvimus-
 que. Ad præstandum autem Serenissimæ Serenita-
 ti Electorali & Ejusdem legitimis heredibus masculis,
 irtote suis cum summa & absoluta potestate su-
 premis & directis Dominis, ubi & quando id requi-
 retur, humillimo obsequii cultu, novum homa-
 gium adstrinximus.

D 3

Quæ

Quæ satis luculenter evincunt, Sacram Regiam Majestatem Borussiæ non limitato, sed supremo & absoluto gaudere imperio. Hoc autem cum summam & absolutam libertatem involvat, de rebus suis non ex alieno, sed proprio arbitrio & iudicio statuendi, ita ut ipsius actiones alterius juri & voluntati subjectæ non sint, nec irritæ ab alio reddi possint, manifeste sequitur, Sacram Regiam Majestatem Borussiæ etiam nemini ad rationes de iis redendas obstrictam esse. Si enim superior non adest, nemini etiam ratio reddi potest.

Neque ea, quæ reiterata Responso Polonica ex pactis hisce Velaviensibus de privilegiis, avitisque juribus & libertatibus, Borussiæ orientali conservandis, citavit, quicquam in contrarium continent. Quemadmodum enim Borussia orientalis nullo unquam privilegio provisa fuit, ut

sem-

28 31

semper transmarinum, non autem sal ha-
lense in eadem consumatur, ita etiam ver-
ba ibidem adjecta: *buic conventioni non de-
rogantibus* notatu omnino digna sunt, &
nullam interpretationem admittunt, quæ
in præjudicium supremi & absoluti impe-
rii, pactis istis stabiliti, vergat.

Quæ autem ex Zalusci epistolis in rei-
terata *Responsione Polonica* allegantur, cum
præsenti negotio non cohærent, neque
aliud dictæ epistolæ referunt, quam quod
Sacra Regia Majestas Poloniæ, Regnique
Proceres Sacræ Regiæ Majestatis Borussiæ
Serenissimo Parenti, gloriofissimæ memo-
riæ, Regiam dignitatem amplissimis statim
verbis, tum per nuncium, tum per literas
gratulati fuerint, Hic vero asseveraverit,
ex assumto Regio titulo nihil præjudicii,
juri ac possessioni occidentalis Borussiæ,
quam Serenissimus Rex & Respublica Po-
loniæ tenent, inferendum, neque Se ullam
inde

inde prætensionem in Borussiam hanc occidentalem vindicaturum, sed Serenissimo Regi & Republicæ Poloniæ jus suum integrum, quoad eandem, reservandum esse. Quod ipsis quoque salvum semper & incolume manet.

Multo inconvenientius adducta sunt, quæ reiterata *Responsio Polonica* de casu caducitatis memorat, cum apertum quidem notumque sit, Pactis Velaviensibus inter pacientes etiam convenisse, ut, deficienibus masculis, ex linea tum temporis Eleitorali, nunc Regia, descendantibus, Borussia orientalis ad Regnum Poloniæ iterum devolvatur, sed latere quoque Sacram Regiam Majestatem & includam Rempublicam Poloniæ nequeant adjecta simul verba:

quæ tamen reservatio interim ante casum existentem juri supremi Dominii Serenitatis Suæ Electoralis, ejusque Descendentium nullo modo præjudicabit.

Quare

Quare necesse est, ut casum hunc, quem tamen benignum Numen vel omnino, vel ad minimum quam diutissime avertat, expectent, interim autem Sacræ Regiæ Majestati Borussiæ curam, Sibi subditos regendi, relinquant, de quorum bono & commodo, pro patrio, quo eos complectitur, amore, semper sollicita, ita eos gubernare perget, ut conscientiæ Suæ satisfiat, & Deo, qui totius mundi gubernacula sustinet, de munere defuncto rationes reddere possit.

Atque sic merito quoque silentio hic prætereuntur, quæ de eo, quod hoc interdicto Borussiæ orientali male consultum sit, in *reiterata Responsione Polonica* commemorantur.

Quod autem ad damnum attinet, quod Borussia occidentalis, tota Polonia & Lithuania exinde sentire dicuntur, non solum in ipsa *reiterata Responsione Polonica*

E negari

negari nequit, jam a multis annis omnem
 plane invectionem salis exotici in Polo-
 niā per toties repetitas constitutiones
 prohibitam esse, sed etiam instrūcio, quæ
 iisdem plane verbis, quibus illa de ao. 1720,
 in priore deductione communicata, tem-
 pore ultimorum comitiorum denuo expe-
 dita est, satis ostendit, Sacram Regiam
 Majestatem Poloniæ omnem curam,
 omnemque operam continuo impendere,
 ut salis exotici importatio in Lithuaniam
 quoque prohibeatur, & a Statib[us] Magni
 Ducatus Lithuaniae adhuc requirere, ut
 more Regnicolarum, sale tantum Poloni-
 co utantur, atque illud non alibi, quam
 nonnulli Sambriæ, nonnulli Viliciæ &
 Bochniæ sumant. Imo Sacræ Regiæ Ma-
 jestati Borussiæ e memoria nondum exci-
 dit, quod ao. 1718. Suo tum temporis Var-
 saviæ subsistenti Ministro per illustrissi-
 mum Dominum Regni Thesaurarium obla-
 tum

tum fuerit, Sacram Regiam Majestatem Poloniæ sal Polonicum universæ etiam Borussiæ orientali suppeditaturam, & per vistulam suis sumptibus in præfecturam insulæ Marianæ advehi curaturam, viliori ibidem pretio, quam transmarinum venit, quo hoc ipsum excluderetur, tradendum, pro eo autem numeratam pecuniam non expetituram, sed sal halense in usum & commodum Electoratus Saxoniæ per modum permutationis acceptaturam esse. Quam tamen oblationem Sacra Regia Majestas Borussiæ, licet Ipsi ao. 1723, durante hac disceptatione de transvectiōne salis halensis per Elbingam, denuo facta sit, e re sua non putavit amplecti. Quæ omnia si quis expendat, difficile admodum est intellectu, quo modo cum iis, quæ nunc in *reiterata Responsione Polonica* de pernicie & decremento commercii Polonorum, Lithuanorum & Borussorum

rūm occidentalium laboriose producta
sunt, conciliari, vel Sacra Regia Majestas
Poloniæ de eo jam conqueri possit, quod
Sacra Regia Majestas Borussiæ Sibi subdi-
tis salis transmarini usum interdixerit,
cum potius Ipsius supra memoratam in-
tentionem egregie promotura fuisse vi-
deatur, si non usum hujus salis solum Sibi
subditis, sed simul etiam omnem istius in-
vectionem generaliter prohibuisset. Id
quod ne quidem factum, & sinistre Sacræ
Regiæ Majestati Poloniæ insinuatum est,
quasi Lithuanis sal halense obtrusum, & il-
lud emere recusantes arresto detenti tue-
rint, sed liberum illis atque integrum sem-
per manet, sal transmarinum Regiomon-
ti comparare, cuius investio in eorum
gratiam in hunc usque diem indulgetur,
quod tamen ipsi vigore pactorum præ-
tendere non possent, cum illa, quæ iis de
commercio disponuntur, de rebus intelli-
genda

genda sint , quæ re vera in commercio
sunt , & cum quibus ipsis mercatoribus
Borussicis mercaturam exercere permis-
sum est.

Quæ ad hanc limitationem responsa
forte sufficerent . Sed ut tanto magis rei-
teratæ Responsoni Polonicæ satisfiat , operæ
preium videtur , accuratius dispicere ,
quid proprie per damnum intelligatur.
Hoc vero periti juris naturæ & gentium ,
doctores notari docent , omnem lœsionem ,
corruptionem aut sublationem ejus , quod no-
strum jam est , aut interceptionem ejus ; quod
ex jure perfecto debebamus habere , sive
denique omissionem aut denegationem ali-
cujus præstationis , quam nobis alter ex
obligatione perfecta exhibere tenebatur.
Ad quæ si quis de damno Borussiæ oc-
cidentalis , Poloniæ & Lithuaniæ in
reiterata Responsonie Polonica dicta accura-
tius examinet , operam iis cumulate

E 3

con-

congerendis inutiliter impensam facile cognoscet, cum de eo damno tantum expostulare possumus, quod nobis in iis rebus infertur, quæ ex obligatione perfecta nobis debentur, Sacra Regia Majestas & incluta Respublica Poloniæ autem nullum perfectum jus ex pactis probare possint, quod Borussiæ Orientalis incolæ sale semper transmarino uti teneantur. Commercia quidem libera manere jubent inter Regnum Poloniæ & Magnum Ducatum Lithuaniae & Regnum Borussiæ, sed neque modum commerciorum, neque species mercium, multo minus pretium rerum, quod pro varietate circumstantiarum variat, præscribunt. Quod si igitur quoque Borussorum occidentalium, Polonorum & Lithuaniae sperato, sed non debito, lucro aliquid decederet, vel etiam illi ex eo detrimenti quid vere caperent, illud tamen pro damno non reputandum,
neque

neque hoc Sacrae Regiae Majestati Borussiae magis attribuendum esset, quam qui in fundo suo puteum aperuit, quo factum sit, quin amplius venæ ad vicinum perveniant. Qui jure enim suo utitur, nemini injuriam facit, & cuilibet in suo quidvis pro lubitu facere licet, etiam cum damno vicini, modo non directa intentione nocendi vicino, sed eo animo fiat, ut rem propriam meliorem reddat. Neq; Sacra Regia Majestas Borussiae hoc ipso quid fecit, quam quod ab omnibus sume imperantibus & liberis Rebus publicis fieri consuevit, quibus, (ut Ipsa Sacra Regia Majestas Poloniae in instructione, tum antea, tum ultimorum comitiorum tempore Nunciis Suis data, testatur) semper usitatum fuit, si ita e re sua duxerint, aliquarum rerum exoticarum importationem prohibere, vel ut apud senata incolis gratiora reddantur, vel domesticorum industria excitetur, vel luxus sup-

supprimatur, & pecunia in Regno conser-
vetur. Ita Belgas vinum & alias merces
exoticas, & Portugalliam ab Hispanis res
holosericas olim non recepisse constat.
Rex Galliarum autem adhuc sal exoticum in
Galliam non immittit, & Rex Sueciarum nu-
per admodum per edictum, die 10. No-
vembris anni praeterlapsi publicatum,
peregrinis alias merces, quam apud se na-
tas aut fabricatas, sub pena confiscationis
in Sueciam invehere interdixit, salis au-
tem, quod *May-Salz* dicitur, importatio-
nem omnino & simpliciter vetuit. Quin
Ipsa Sacra Regia Majestas Poloniarum, ut su-
pra memoratum est, eodem jure utitur, &
idem ab Augustissimo Romanorum Imper-
atore vicissim experitur, sal Polonicum
in Silesiam in vehi non permittente.

Illa vero præ ceteris summa admirati-
tione digna sunt, ubi reiterata *Responsio Po-*
lonica afferit, ea, quæ hac in parte a Sere-
nissimi-

nissimo Polonorum Regē facta sint,
toto, quod ajunt, cœlo a Sacræ Regiæ
Majestatis Borussiæ instituto differ-
re, & istiusmodi rationes differentiæ
affert, quæ partim vix satis percipi
possunt, partim vero ex supra dedu-
ctis, vel iis, quæ sequuntur, corruunt.
Extra omnem enim controversiam
positum est, pacta esse mutua, &
utramque partem obligare. Hinc
quoque Sacra Regia Majestas Borus-
siæ, supremo & absoluto imperio
gaudens, jure meritoque Sibi vindicat,
quæ Sacra Regia Majestas Polo-
niæ, annuente Republica, Sibi licere
judicat, & si Huic ea omnia, quæ
reiterata Responso Polonica allegavit,
intuitu prohibitionis de omnino in
Poloniā non invehendo sale exoti-
co non obstant, multo minus Sacræ

ni

F

Re-

Regiae Majestati Borussiae, quoad
usum salis transmarini saltem Sibi
subditis interdictum, obesse possunt;
neque multum refert, an illa prohibi-
tio vel nuper, vel jam dudum in Po-
lonia facta sit. De ea enim omni tem-
pore tot tantasque querelas, tum a
Polonis ipsis, tum a Borussis occiden-
talibus, imo etiam ao. 1561. ab ipso
Duce Alberto, Regiomontanorum
precibus adducto, reiteratas esse, hi-
storiarum monumenta tradunt, &
ipsi imprimis Elbingenses, qui præ-
senti disceptationi occasionem &
materiam dederunt, non solum de
jure, quod cum reliquis Borussicis
civitatibus commune habent, hoc
modo violato, conquesti, sed jam ao.
1533. specialiter remonstrasse legun-
tur, sibi privative jus competere, sal-
in

in tres illos Masoviæ districtus, Prasnick, Czechanowam & Janowam invehendi, injuria autem se in eo a Capitaneis turbari & impediri; & quamvis has querimonias ao. 1550. & ao. 1561, ac postea pluribus vicibus repetierint, atque privilegia sua infringi, & commercio ingentem cladem inferri, allegaverint, nihilominus tam non aliud responsum tulerunt, quam ipsorum commercii rationem hac in parte haberi non posse, neque illud cum Regiorum reddituum & salinarum Polonicarum jactura, quibus hoc modo multum detraheretur, promoveri, prout hoc refert, qui nuper rerum Borussicarum historiam ex Gedanensi archivo conscribere instituit. Et Gedanenses in certa quadam informatione de sale trans-

marino, mense Augusto ao. 1682. expedita, iisdem plane argumentis, quæ in reiterata Responso[n]e Polonica contra Sacram Regiam Majestatem Borussiæ adducta reperiuntur, prolixè probare studuerunt, hanc ipsam prohibitionem salis exotici in Polonia in convulsionem jurium Borussorum & notabile detrimentum commerciorum vergere, ac proinde illius importationem in Poloniā his permittendam esse. Sed tantum abest, ut Sacra Regia Majestas Poloniæ his Sibi rationibus persuaderi passa sit, & interdictum hoc aboleverit, ut in hunc usque diem Borussis, tam orientalibus, quam occidentalibus, ejus salis exotici invectio non permittatur, imo non ita pridem, ao. 1719, Regi Borussiæ subditis aliquot vasa salis trans-

transmarini, quæ ex præfectura O-
lezkensi in Poloniam invehabant,
adempta, sal in aquam immersum,
equi autem fisco applicati sint, ita ut
Sacra Regia Majestas Poloniæ omnia
illa argumenta, quæ contra Se non
admisit, male etiam contra Sacram
Regiam Majestatem Borussiæ adhi-
beat, & Hæc eodem jure merito uta-
tur, quo Illam cum Reipublicæ con-
fensu in hunc usque diem uti constat.
Neque est, quod reiterata *Responsio Po-*
lonica opponat, sal halense non in Bo-
russia, sed in Ducatu Magdeburgico
coqui; ambæ enim provinciæ Ipsi
parere gestiunt, & sub Ipsius imperio,
cum unum caput, eundemque Do-
minum habeant, ita quasi coaluerunt,
ut unius commodum ab alterius
emolumento separari nequeat, utri-

F3

usque

usque autem incolarum officium & homagium requirat, communis Domini utilitatem pro virili promovere. Quod Sacra Regia Majestas Poloniæ autem non ex Electoratu Saxoniæ sal, ibidem coctum, in Poloniam, Lithuania, vel Borussiam occidentalem intendat introducere, mirum certe non est, cum Electoratus Saxoniæ ipse sale exotico egeat, & Hala, aliæque Magdeburgici Ducatus civitates ipsi hoc suppeditent, licet alias non appareat, quid impediret, quo minus hoc fieret, si modo Status & Ordines Regni Poloniæ, eique incorporatae Borussiæ occidentalis & Magni Ducatus Lithuaniae consentirent, quorum consensu Polonorum, non Borussorum Rex opus habet.

Quod denique securitatem fortalitii

talitii concernit, in prioribus deduc-
tionibus ostensum est, nihil periculi a
transvectione salis halensis fortalitio
Elbingensi imminere. Propugnacu-
lum autem, cuius mentionem reitera-
ta Responsio Polonica injicit, Bolwerck-
Schanz dictum, uno milliari ab Elbin-
ga distans, atque in loco, ubi fluvius
Elbing habo miscetur, situm, non ad
civitatis fortalitium, sed ad territo-
rium pertinet, cuius possessionem Sa-
cra Regia Majestas Borussiæ tenet;
quare etiam statim post tractatum
retraditæ Elbingæ Sacrae Regiæ Ma-
jestati Borussiæ tradenda fuisset, cum
vero hoc factum non sit, & postea
tum Sueci, tum Russi, & denique Po-
loni propugnaculum hoc possederint,
nunc illud, postquam ab ultimis spon-
te derelictum fuit, jure meritoque
occu-

occupavit, neque eo ipso quicquam fecit, quod allegato paragrapho quinto tractatus retraditæ Elbingæ contrarium sit, in quo novi tantum fortalitii exstructio prohibita, alias autem integrum territorium, cuius pars dictum propugnaculum est, placide & absque impedimento occupare Sacræ Regiæ Majestati Borussiæ permisum fuit, & habebunt Elbingenses, quod sibi imputent, si illo ad id usq[ue] fuerit, ut Ipsi vicissim sal exoticum ea via advehi impeditat, donec transvectionem salis halensis per civitatem suam denegare desierint.

Quoad 6^{am} limitationem, ne quisquam ad aliquam civitatem, castrum & locum, sub praetextu cuiuscunque constitutionis vel Edicti, cum rebus & mercibus suis profici sci cogatur, verba in pactis de
ao. 1525.

Et

Et peregrini mercatores nec in Königsberg,
nec Braunsberg, Elbingum, Gedanum aut in
ullam aliam civitatem proficiisci cogantur,
sed debent libere, non coacti, prout ipsis
placuerit, velificare & navigare

non de Polonis, Lithuanis vel Var-
miensibus, Regiomonti, vel Elbin-
gæ, vel in alia civitate coem-
ptas merces domum transvehen-
tibus, sed de peregrinis mercato-
ribus, qui merces navibus inve-
hunt, & nullatenus de his non ar-
cendis, sed de non cogendis agere,
& per consequens hic nullatenus
quadrare, si vero huc traherentur,
potius pro Sacra Regia Majestate Bo-
russiæ militare, Elbingensibus autem
aperte obesse, non Argis solum, ut
reiterata Responsio Polonica loquitur,
sed etiam monoculo videre licet,
cum liberam omnino navigationem
esse jubeant, Elbingenses autem eam

G

im-

impedire conentur. De cetero autem Polonis & Lithuania vel Varmiensibus sal transmarinum, sive Regiomonti, sive Elbingæ, sive in alia civitate emptum, per Sacrae Regiae Majestatis Borussiæ ditionem transvehere adhuc liberum manet, quamvis nullum jus querendi haberent, si ipsis hic quoque transitus denegaretur, donec sali halensi per Elbingam concessus fuerit.

Ad Septimam limitationem, *ut omnes terrarum Prussiæ incolæ in suis Privilegiis hoc casu permittantur, jam supra sufficienter responsum est.*

Octava denique in reiterata Response Polonica agitata limitatio ut ea NB. Duci Prussiæ tantum ducere & transvehere per Regnum & Dominia S. R. M. Polon. licita esse debeat, quæ, NB. ad usum & necessitatem propriam Illustratiani non

non autem NB. ad mercaturam exercen-
dam opportuna & necessaria videbuntur
non magis, quam præcedentes, Sa-
cram Regiam Majestatem Borussiæ
ferit, Quæ sal halense non ab aliis
emit, sed in propriis salinis coqui cu-
rat, & quamvis hoc non sine sumptu-
bus & labore fiat, idcirco tamen non
magis sal illud, quam Sacra Regia
Majestas Poloniæ sal Polonicum, ma-
jore certe sumptu & labore e fodinis
erutum, vel alios reditus, mercato-
rio more vendere dici potest. Dein-
de etiam pactorum de ao. 1526. eum
non esse sensum, quem reiterata Re-
sponsio Polonica iis tribuit, quilibet, ve-
re & incorrupte judicans, facili ne-
gotio cognoscet. Liber enim transi-
tus omnibus utriusque ditionis inco-
lis cum cuiusvis generis mercibus
prioribus jam pactis, & ipsis de ao.

1525, inter Sigismundum I, Poloniæ Regem, & Ducem Borussiæ, Albertum, initis, concessus erat; quare eundem etiam Principi, tam quoad res proprias, quam alienas, jam tum temporis competuisse, nemo negare, potest nisi incongrue quis statueret, Principi minus, quam Ipsi subditis licuisse. Itaque non opus Ipsi erat, novam propterea concessionem a Rege Poloniæ petere; sed, quoniam alias immunitates desiderabat, vigore patitorum præcedentium Sibi nondum competentes, hæ Ipsi per instrumentum de ao. 1526, quod eum in finem unice conditum est, concessæ sunt, & inter has etiam immunitas a telonio, quoad res proprias; id quod ipsa *reiterata Responsio Polonica* re vera confitetur, si de Principis prærogativa dicta recte perpendantur, licet illud se nega-

negare simulet. Sive enim in allegato loco a Przylusio *punctum*, quod tamen sensus ibi dictorum non facile admittit, sive in corpore actorum publicorum Borussiæ *comma rectius* positum sit, in verbis præcedentibus: *postremo concedendum etiam duximus statuitur*, *Ducem & Nobiles Borussiæ*, in verbis sequentibus autem: *item & his pariter*, similiter etiam *peregrinos Nobiles*, in Borussiam per Polonię proficilentes, pro rebus propriis nullum telonium solvere debere, & notari meretur, quod *Ducis & Nobilium Borussiæ* in primis verbis tantum, non autem in sequentibus, sed in his peregrinorum Nobilium mentio unice fiat, ac tandem omnibus simul immunitas a teloniis in Regno Poloniæ, quoad res proprias, adscribatur; quæ ipsa etiam restrictio, *quoad res proprias*

G 3 mani-

manifeste indicat, tam Principi, quam Nobilibus res ad mercaturam exercendam oportunas, soluto antiquo telonio, per Poloniam vehere jam ante a omnino licuisse, cum alias hac restrictione opus non fuisset. Neque ipsis Magnatibus Regni Poloniæ & Magni Ducatus Lithuaniae conduceret, alium sensum pactis affingere, quoniam eo ipso sibi simul jus, res suas, ad mercaturam commodas, alio vendendas transmittendi negarent, cum iisdem etiam pactis statutum sit, quod Dux Albertus omnem aliam potestatem in terris suis habere deberet, quam aliquis Princeps Regni Poloniæ melius habere dignosceretur. Hinc etiam ea, quæ de monopolii allata sunt, responsione non indigent, & multo minus Sacrae Regiæ Majestati Borussiæ, quam Sacrae Regiæ Majestati

stati Poloniæ obstant, cum Ipsa solum
usu m̄ salis transmarini Sibi subditis
interdixerit, quoad commercium
autem cum Lithuanis & reliquis ex-
traneis, ejus invectionem permittat,
Hæc vero omnem istius importatio-
nem in Poloniam penitus prohibue-
rit.

Ea autem tacita tandem non
relinquenda videntur, quæ reiterata
Responso Polonica de Mediatoribus &
Commissionibus, ab utraque parte
instituendis, admiscuit, quæ tamen
hic male applicantur. Quanquam
enim Sacra Regia Majestas Borussiæ
nunquam Mediatores, vel Commis-
farios defugiet, quoties iisdem opus
fuerit, quippe Quæ jam dudum istius-
modi comissionem, ad lites circa limi-
tes terminandas, utrinq; instituendam
expetivit, res tamen ambiguæ tan-
tum

56

tum & obscuræ , non vero claræ & manifestæ, Mediatores vel Commissarios postulant, illa autem omnia, quæ in reiterata *Responsione Polonica* adducta reperiuntur, directe ad pacta, cum summo & absoluto iis stabilito imperio, penitus evertenda tendunt, quæ tamen an servanda sint, nova nec Mediatorum, nec Commissariorum cognitione opus erit. Quare etiam Sacra Regia Majestas Borussiæ maxime confidit, fore tandem, ut Sacra Regia Majestas & incluta Republica Poloniæ, justitiæ & æquitatis pro Ipsa militantis, rationem habentes, Elbingensibus, ut transitum per civitatem suam semper liberum Ipsius navibus præstent, serio injungere non amplius graventur.


57

Ld 1089

ULB Halle
005 421 799

3





615451. 71 1.6.
ULTIMA & FINALIS
DEMONSTRATIO
JURIS
SACRÆ REGIÆ MAJE-
STATIS BORUSSIÆ,
SICUT QUASVIS ALIAS MERCES,
ITA ETIAM
SAL HALENSE PER ELBIN-
Ld GAM ET LACUM
1089 DRAUSEN,
IN USUM ET COMMODUM SIBI
SUBDITORUM LIBERE TRANSVEHENDI.

10.2.06. ANNO MDCCXXV.